

7
1743/1
10

SCRIPTIS
QVAE
MODERATOR CONFLICTVS
ACADEMICI

DISPVTAUIT,
PRAEFATVS
RATIONES ACROASIVM SVARVM VIADRINARVM

REDDIT
ALEXANDER GOTTLIEB BAVMGARTEN
PROF. PHIL. P. O.



HALAE MAGDEBVRGICAE,
IMPENSIS CAROLI HERMANNI HEMMERDE.
MDCCXXXIII.

1773

ALBRECHT GOTTFRIED HAVINGARTE

1773

1773

ALBRECHT GOTTFRIED HAVINGARTE

ALBRECHT GOTTFRIED HAVINGARTE

1773



1773

ALBRECHT GOTTFRIED HAVINGARTE

1773





I.

qua sint unquam arma defendendae fama: non licita solum, sed et bono cuius liberaliter amplectenda: semper illa mihi visa sunt talia, quibus obrectationum criminatiorumque gerrae per ipsas res sine multo verborum strepitu repellantur. Huc delatus edideram more consueto libellum ad acroasēs heic habendas inuitantem, in quo de bono et prudente per academias applausu nonnulla disserueram. Quamquam inter omnes constat ante tales emitti plagulas in publicum solere, quam aperiantur ipsae scholae, neque adeo tunc, quum istae scribuntur, praevideri posse, quot interfuturi sint auditores post ea demum auspicandis institutionibus: vidit tamen ex his ipsis paginis circa Cymbrorum confinia scriptor aliquis ephemeridum sane perspicax, et publice se vidisse narravit ex iisdem, tantum heic mihi non esse, quantum Halae sperauerim, applausum. Risi bonum virum, qui tum quid Halae cogitauerim,

tum, quid heic euenerit mihi, non me solum melius cognoscebat, sed ex meis etiam scriptis intellexit, quae, quum ea scriberem, ipse nosse non poteram, nisi per uaticinium, in quo me fateor ne mediocriter quidem uersatum. Tum uero, quum ingressus essem ipsum heic docendi stadium, confluxere mox propiores rumores, nunc obsoletum obseuritatis opprobrium, nunc inuilitatem intempestiuae nouitatis, nunc siccitatem spinosam et audientibus intolerabilem, nunc crebriores facetias, minusque, quam par sit, seueram urbanitatem exprobrantes. Ingerebatur et illud: *Αδίκει τις νεους διαφθερων, υπεροραν ποιει των καθεστων νομων τους συνοντας, επαίρει τους νεους καταφρονειν της καδεωσης πολιτεας, ηδη ποιει βιαιους, τις πατερας προπυλακιζειν διδασκει, πειθων μεν τους συνοντας αυτα σοφωτερους ποιειν των πατερων.* Surdus ad ista quum esse non possem, mutus certe uideri decreueram, donec essent heic etiam, quibus Halae semper maxime gauisus sum, ingenia commilitonum meis auxiliis eo studiorum, quae profiteor, deducta, dici quae possent in excusationem meam, ut ipso facto, recte scilicet sentiendo, dicendo, scribendo, uiendoque declararent.

II.

Quo tamen crebrius fortiusque premebar, hoc mihi festinandum alacrius iudicauit, quoque magis ipse festinabam, eo paratior inueniebam, qui mecum in ipsos sacratiores philosophiae recessus penetrarent, ornatissimos auditores. Et quoniam ex illusterrimo nostrarum uniuersitatum litterarum curatore Berolini coram audiui, gratum sibi fore, si non promissae solum, sed et uere habitae, recitationes disciplinarum academicae publice enumerarentur: hanc occasionem obedientiae testandae ne praetermitteram; uia drinae meae acroases, quibus breuissimis nuncupari solent uisitissimisque loquendi formulis, atque adeo academica mihi hucusque uita heic acta,

Votina pateant ueluti descripta tabella:

A. 1740. per astatem:

*Publice, philosophia generalis
Primatim logica, v. n. III.*

A. 1740

A. 1740 - 1741. per hiemem:

Publice philosophia generalis continuata

Priuatim metaphysica, v. n. III.

ius naturae, v. n. V.

Priuatissime ius naturae iterum

A. 1741. per aestatem:

Publice ius naturae tertium

Priuatim logica iterum

ius sociale, v. n. VI.

Numero clauso grammatica hebraica, v. n. VII.

Priuatissime logicum practicum

repetitio logica

A. 1741 - 1742. per hiemem:

Publice physica phoronomia, e. c. v. n. VIII.

Priuatim metaphysica iterum

ethica, v. n. X.

Priuatissime logicum practicum continuatum
curfus philosophicus theoreticus.

A. 1742. per aestatem:

Publice physica pyrologia e. c. v. n. XII.

Priuatim logica tertium

ius naturae quartum

Numero clauso prudentia socialis, v. n. XIII.

Priuatissime curfus philosophicus practicus.

A. 1742 - 1743. per hiemem:

Publice physica hydrologia e. c. v. n. XIII.

Priuatim metaphysica tertium

ethica iterum

Numero clauso aesthetica, v. n. XV.

III.

Philosophiae generalis summa fastigia iam sequutus sum in
libello *de applausu*, §. 12. De deria mea logica partim exposui in
prolusione academi a *de audiendis philosophicis per triennium academi-*
cum,

cum, §. 13. Quae tunc de caute legendo duce per logicos philosophiae campos commemoravi, commemorari satis attendique vix possunt. Quoniam enim haec philosophicorum pars prima discenda est, eiusque merito maxime turpis ignoratio censetur, saepius in reliquis etiam sibi prudenter diffidens, hanc tamen ad vnguem non scire solum videri vult, sed et eo confidentius ad eam docendam accingitur, quo facilius novis adhuc scientiarum hospiti- bus, philosophari demum orsis, vel fumum omnino vendere, vel qualiacunque proferendo meliorum ignaris nihilo sperat minus satisfacere. Nolim eiusmodi homines exesse republica litteraria. Profsunt commendandis mirifice, si comparentur, exactioribus, solidioribusque, profunt excitandis eorum studiis, qui forsan alias diutius, aut per omnem vitam, a philosophia mansissent penitus alieni. Dum solent omnia prona, iucunda, facillima, magis sine nodo, quam scirpus, vel tribus oscitantium hiatribus deglutienda polliceri, profunt iis, quantum possunt, qui, parum attendere quam fixum animo deliberatumque habeant, nolunt seueriori disciplina proficere. Modo caueant erectiores scientiarum amatores, ne male cohaerenti cuius logicorum quorumcunque fundamento firmum et duraturum opus superstrui posse cogitent, salua res est. In meis acroasibus logicis Halae iam institueram, et heic perrexi bonis auibus, cuiusuis hebdomadis vltimo die, quae per reliquos oratione non interrupta sunt exposita, mutuis quaestionibus respon- sionibusque reperere cum iis commilitonum, qui dant ad exerci- tium eiusmodi nomina, aliis tacite, si placer, auscultantibus. Iis- dem in horis addere soleo, quae scitu vel necessaria, vel vtilia cen- seo, neque tamen moror in ordinariis praelectionibus, quoniam iis se plurimi statuunt posse superfedere.

III.

De metaphysicis l.c. iam notavi quaedam §. 15. Nunc adden- dum est inceptum non minus Halae, nec heic ommissum in meta- physicis etiam exercitium. Quam enim iure mihi postulare posse videor, vt ad metaphysica si quis appellit animum, logicis iam praeceptis imbutus sit, adeoque disputandi regulas calleat: repeti- tionibus, quarum in logicis mentionem feci, (n. III.) in hac scien- tia coniungere soleo disputationes, singulis Saturni diebus hac heb- domae.

domade repetens, illa disputans, et ita vicibus alternis progrediendo tractationis ipsius potissima momenta denuo collustrans. Contradicturis ab ovo principiorum, vt ita dicam, semper liberior campus aperitur, vsque ad eas materias, in quarum interpretatione substiti, quamcunque paragraphum libelli de metaphysicis a me scripti labefactandi. Theologiam naturalem plerumque duplicata, quam vocant, hora, circa dies paschae festos separatim expono, partim quia duabus nundinis hiemale semestri spatium apud nos contractum non sufficit quatuor tam grauibz absoluedis scientiis eadem hora, partim vt hanc adire simul possint, qui reliquarum hoc semestri tempore non interfuerant expositioni. Non alienum ab hoc loco forsan esset regerere non nihil ad bona verba, quae de metaphysicis meis iterum editis dixit non nemo huius anni n. 17. Lipsicorum foliorum, quae noua reipublicae litterariae narratura quouis triduo prodeunt. Quoniam autem odium *consuetudinis definiendi*, quam *hodie* natam putat probus historicus, *nouaeque seclae philosophicae*, cuius et me reum agere placuit, misellum virum praecipitem egit in febrim, quam tertianam vocant medicorum filii, rogandus potius est, ne lectoribus in posterum per paroxysmum bona noua nunciet, aut mutis artibus in silentio relinquendus.

V.

Juris naturae tum vsu, tum explicandi rationem terigi non nihil l. c. §. 16 & 22. In praesenti duos liceat indicare quasi scopulos, quos ad hanc praesertim scientiam adspirantibus admodum periculosos esse nemo facile negauerit. Primum omni modo fugiendum est eorum consortium, qui manibus, vitiant, illotis hoc rationis et naturae palladium contrectant. Quum officia, quae natura nos docuit, vocem ipsius dei, prima mortalium iura pollicetur haec vera, non fucata philosophia: iure suo meritoque non allicit solum, ex quo colitur, philosophos ad opum suarum indagacionem, sed et theologos et Jurisconsultos. Horum qui simul ex philosophiae praeceptis seuera lege profecerant, dici vix potest, quantum attulerint & afferant adhuc paene quotidie iuri naturae emolumentum. Quemadmodum eorum industria tam utilis humano generi, tam proficua laudibus satis efferris concelebrari que non potest: ita culpanda multorum est negligentia, qui a sola philosophia

phia honorem titulumque nacti sunt, et hanc adeo nobilem suae di onis partem tum olim incultam iacere, tum etiam nunc parum curare pro dignitate videantur. Verum, etsi felicitate temporum nostrorum conspirare videntur non ita pauci, per commemoratos eruditorum ordines, ad ius naturae recta ratione stabiliendum: nondum tamen omnino possunt arcere genus hominum, qui, si forte magistri philosophiae, aut omnino iuris vtriusque doctores creati sunt, satis superque beati sua iusti rectique naturali, quam vocant, et insita notitia, quae qualis sit, ipsi nesciant, repente prodeunt iuris naturae consulti. Definitiones rerum, de quibus differendum est, aut rident, aut omittunt saltim necessarias, aut omnino pro talibus vendunt miserabiles confusione circumloquutiones. Mirum in modum differentium primo vocabula promissive adhibent: deinde, quod pronum est huius consuetudinis corollarium, ipsa, rotundis quadrata. Quae probare nequeunt, axiomata salutant. Quo plus iuris, hoc minus rationis, quo plus rationis, eo minus iuris in ipso iure naturae deprehendunt. Demonstrationes, nisi per iocum, ne promittunt quidem. Quaerentibus occidunt, eos evidentissima negare. Simul tamen in axiomatibus suis habent: *nullum axioma sine exceptione*. Caelo delapsum illis est aureum illud, alias satis barbarum: *Quod patet expresse, non est probare necesse*. Quicquid enim probandum est, expresse patet. Neque tamen ita multo post evidentissima eadem limitanda, & restringenda clamant. Si restricturos eos vnquam putes, falleris. Tandem aliquando subit animum ratiocinari paullisper. Jocum te putent, si talium virorum ex necessaria consequutione conclusiones autumes adstringi regulis logicis. Si nescis, non diffitebuntur, non logice, sed iuridice se velle probare. Neque dubita. Liberabunt fidem. Non illustrabunt, quod laudares, sed probabunt, et, quam primum irascantur, demonstrabunt iuris naturae placita per casum singularem, acta in iudicio nudius tertius, aut antiquiorem aliquam historiolum. Interferent suis locis, vbi scilicet alias haesisset aqua: *hinc fuit, vnde sequitur, ex quibus patet*, et his similia. Post has *expresse patentes* connectendi voculas, i, fodes, et consequentiam desidera. Quam diu iudicatur haec adhuc multis in locis fabula, mirabimur, tot superesse iuris huius controuersias, tam fluxam eius videri certitudinem, vsque adeo parum habere
pon-

ponderis in foro, quae quis ex eius se fontibus haurire profiteatur? Sed veniamus ad alterum incommodum, quod nascitur ex neglecta limitum accurata circumscriptione, quibus haec scientia contineatur. Rerum harum non ignarus ipse secum cogitet omnia, quae iuris naturae dicuntur, quae si comprehendenda forent in vnum librum aut acroasin singula, nonnerudis et indigesta prius moles, quam aptarum inter se partium concinnum aliquod nasceretur aedificium? Non ethica solum, oeconomica, politica, leges vniuersis ciuibus a natura praescriptae singulae, cum iure gentium huc possunt confluere: sed etiam scriptor ille, praesertim JCtus, qui meditationes suas theologicas, aut iuris romani peritiam, aut interpretandi, quis crederet? regulas sub hedera iuris naturae venum dare voluerit, auctor illi non temere defuturus est. Quando tam varia, quasi per lancem saturam, exhibentur, caue, ne de omnibus aliquid, de nulla vero re, quantum satis est, vel didicisse, vel docuisse videaris. Docentibus, si focordiae litare iuuerit, expatissimum asylum panditur. De magno quia tollunt acervo, materiam non defore praeuidentes loquuntur scribuntue, quicquid primum in mentem venit. Si quis rem perfunctorie tractatam queratur, exceptio prompta est: *haec sunt theologica, haec iuridica, haec ethica, haec politica*, et sic porro. *Si velis rem acu tactam, dictas disciplinas consule.* Idem si quas ex illis alio tempore docere pollicentur, ecce! nouum refugium, quoties anguillae placent elabi: *de his iam in iure naturae vidimus.* Taceo bellam opportunitatem eadem diuersis sub titulis, nec iisdem pro honorariis repetendi. Nam satis de his. Sufficit innuisse rationem, cur in acroasi, quam a iure naturae dico, solam philosophiam practicam primam, quae vocatur vniuersalis, primorum illam principiorum disciplinis reliquis practicis communium sed iisdem priorum, et deinde scientiam obligationum hominis extenarum in statu naturali suscipiam interpretari. Si quid mea nonnihil in philosophicis profeci diligentia, minus aequus ex eo colligas me metaphysicis vnice canonibus cogitantem inhaesisse, quod primae scientiae primas lineas duxi, quum primum ad scribendum animum adicerem. Plus operae, plus olei iam aliquos abhinc annos iuribus philosophicis, iisque quae respondeant, prudentum consiliis insumsi. Quod an omnino perdidem, ii iudicent, quibus industriam vel iam probaui, vel probauro,

b

nunc

nunc, olim, quocumque dabunt se tempore vires.

Doctrinis philosophiae practicae primae, iurisque naturae, singulis Saturni diebus annecto disputationum et repetitionum, quales ad metaphysica descripsi, (n. III.) exercitationem.

VI.

Nondum annum heic exegeram, quum iam honoratissimorum commilitonum rogatu pedem ulterius docendo proferre per philosophiae campos liceret, quam Halae quinque per annos contigerat. Non contenti ius naturae callere, quod supra definiui (n. V.), prospiciebant mecum *ius sociale* philosophicum, nec prospiciebant tantum, sed et duce *H. Koelero in speciminibus* de eodem editis tractationem illius ingrediebamur. Est illud scientia obligationum hominis externarum in statu sociali. Quamquam enim status plurium personarum omnis, in quo ad communes certos fines intendendos tenentur, est societas; adeoque tam omnes spiritus in maxime generales et paene ultimos optimi maximi fines obligari consentire, quam totum genus humanum est in societate vere catholica, qua ciuitas dei aeternis nexibus colligatur: tamen ille demum status quarundam personarum, quo peculiare fines, praeter ante dictos, sibi communes praefixos obstringuntur agnoscere, socialis restricto non nihil significatu nuncupari fuit. In hoc non minus, quam in naturali sunt admittendae quaedam obligationes, quas externas dicimus, alii perfectas et plenas vocant, caeque iuris sunt, sunt admittendae praeterea, quas internas vocamus, alii minus plenas et imperfectas aiunt, caeque sunt consilii, sunt prudentiae. Philosophus ergo quando homines, vt socios peculiariumque societatum membra considerat, obligationes eorum positurus ob oculos, nunc *ius sociale*, nunc *prudentiam socialem* habet vberius expedendam. In priori stabiliuntur ante omnia leges ex natura societatis per naturalem rationem omnibus societatis communes externae et cogentes. Transibit deinde ad leges eiusmodi societatis familiarum constituentibus ipsique familiae praescriptas, *ius oeconomicum*. In legibus autem status civilis diutius occupabitur *ius ciuitatis* philosophicum et naturale. Negotia ciuibus suscipienda si propius cultum diuinum spectare valide indicantur, ciuilibus sacra sunt, reliqua profana. Illorum est *ius ciuitatis sacrum*,
pri-

prima sua principia iuri ecclesiastico subministrans. Porro negotia ciuibus suscipienda si propius bonum ciuitatis commune i. publicum promouere valide iudicantur, publica sunt, reliqua priuata. Prius est *ius ciuitatis publicum latius dictum*, reliquorum *priuatum et ciuile*. Hoc id ipsum est ius ciuile philosophicum, quod male cum iure ciuitatis confunditur, male negligitur incultum, non iis solum, qui peculiarium gentium, veluti romanorum, indagant, iura priuata certitudinis minus curiosi, sed illis etiam, qui haec demonstratum iam eunt scilicet omnia, ex remotiori iuris naturae, quod (n. V.) definiui, fonte tantum suos riuulos deducturi, flumenque multo propius, ex quo plura poterant hauriri, praeter-euntes. Negotia publica vel sunt immanentia, ciuitatis intra sinum peragenda et terminanda, res domi gerundae: vel transeuntia, res foris gerundae, ciuitates praesertim alias concernentia, saltim eos, qui sunt extra ciuitatem. Vtraque quum expediat ius, quod supra diximus, publicum; haec tamen *iuri gentium primario* recte vindicentur, illorum leges exhibens *ius publicum strictius* appellandum erit, nihilo minus generale et philosophicum. Hinc fontes iurium publicorum certis gentibus peculiarium repetendi sunt: illinc con-trouersiae gentium inter se decidendae, si quae iure componi possunt. Vnam ex porissimis partibus iuris non publici solum, sed et sacri philosophici *ius maiestatis* esse, quis est, qui nesciat? Taceo reliqua iuri nostro sociali subiecta. Nec haec enumerassem, nisi per experientiam doctus essem, multis titulum non ira multa promittentem impedimento esse, quo minus hanc tam late patentem, tam dignam, tam necessariam illi philosophiam iuris, qui veram et solidam, non simulatam ambit iuris scientiam, pro merito colentes ex primis naturae iustitiaeque legibus sine hiatu sine saltu ad peculiaria singularum gentium, ciuitatum, societatum statuta descendant.

VII.

Eadem aetate, qua protenus iuisse non nihil in interpretanda philosophia videbar, erant simul aliqui commilitonum sacris se studiis consecrantium, qui retraherent ad philologica grammatices ebraeorum Danzianae, quam Halae iam iterum iterumque subieram, enucleationem postulantes. Si quid est operae colloca-

tum a me vel adolescente, vel iuvene in illa studia, quae minus ad philosophum pertinere plerisque censeantur, illius me sane nunquam poenituit, ex quo philosophiam profiteri iussus sum, quam linguas impenderam. Non communes earum usus indicabo, quos vi reliquis eruditionis partibus, ita non minus philosophiae suppeditant. Peculiares indicare nunc duos modo liceat. Quum enim nostris praecipue temporibus non ita pauci animum ad philosophandum appulerint ingeniis fatis crudis et per humanitatis studia male praeparatis: bella nascitur inde occasio, non illos solum exagitandi, sed etiam philosophos promiscue, quae maleuolorum est beneuolentia, turbae inuoluendi, linguarumque supinam omnibus ignorantiam obiciendi. Quamquam autem neque tria Ennii corda, nec plura calumniae eximunt: interim est aliquid, non te solum, sed et aequos iudices nosse calumniam esse contra te, quod in alios dictum aliquos non inficiandum esset vituperium. Sed huc propius spectans utilitas altera commemoranda est. Philologiam vniuersalem, scientiam orationis, quatenus in plurimum gentium linguis eadem est, vbiq; sibi constans ac similis, cuius in metaphysicorum §. 622. aliquas partes tetigi, philosophiam esse nunc nemo temere negauerit. Huius ego culturam, multis nominibus commendabilem, vbi dixerō faciliorem felicioremque reddi, linguarum non ita paucarum methodica praesertim et artificiali notitia, non alte petitis argumentorum copiis demonstranda me proferre penitus mihi persuadeo. Comparatis autem iis, quas didici, linguis ingenue mihi fatendum est, nullam philologiae generalis, grammatices praecipue, tam bella tam foecunda praebuisse, velut in fructibus, stamina, quam ebraeam, tum antiquitate, tum simplicitate mirabilem, et philosophis etiam praedicandam, vt exemplum philologiae philosophicae, praefiscine dixerim, euidensissimum.

VIII.

Laboribus eiusmodi quam insudarem, inopina mihi morte raptus est, velut a latere, a prima iam pueritia amicus, tunc collega proximus aetate et loco, simulque multis nominibus coniunctissimus, quem honoris causa nomino, *Fridor. Guil. Roloff*. Qui sicut omni ratione prodesse studiis eorum laborabat, qui nostris in sub-

subsellis proficere constituerant, inter alias occasiones bene de
iisdem merendi cum aliquibus societatem inerat linguae vernacu-
lae crebris exercitiis colendae destinatae. Quum itaque noster ex
viviis discederet, non singuli solum ex iis fidelissimum doctorem,
sed etiam omne sodalitium sane laudabile socium, comitem, immo
ducem dextrimum iure meritoque desiderabant. Forre commu-
nis haec nobis tristitia fuit in causa, cur in suis conuentibus subire
vices optimi viri, quem amiseramus, a me postularent. Deesse
non potui luculentis et ardoris in bonas litteras, et fiduciae non
nullius in me locatae significationibus. Quoniam tamen in acade-
miis maiori civium numero gaudentibus hos in vernaculam, hos
in latinam linguam, alios in artes eloquentiae, alios in poësin ex-
ercendam peculiariter socios incumbere memineram, nobis autem
tot diuersis fruendi collegiis vix spes erat: auctor eram suasorque
proferendi nonnihil societati nostrae figendos terminos, et exer-
citiis linguae germanicae coniungendi reliqua, quae mansuetioribus
studia alimenta praebent. Placuit consilium, et ex eo tempore con-
uenimus ad hunc vsque diem vna hora per quamuis hebdomada,
nunc graeca, latina, gallica vertentes, nunc antiquitatum aliquid
renouantes, nunc libros rariores euoluentes, nunc aliquantulum
philosophari, nunc fabulas narrantes, nunc scribentes epistolas,
nunc aliquam minus obseruatarum disciplinarum informantes,
nunc grammatici, nunc hermeneutae, nunc rhetores, etiam cri-
tici, non raro poëtae, nec ii sine praemiis. Breuiter, quicquid
interiora superiorum, quae vocantur, facultatum sacra non com-
plectuntur, eruditum tamen et liberale, nostrum putat innocens
libertas academica.

VIII.

Physicam scientiam rationis et experientiae facibus miranda
daedalae naturae scrutantem artificia quo magis aestumari nunc
apud exterorum nobiliores non viros solum, sed et viragines,
nostratumque non solum ciues, sed etiam principes obseruabam;
hoc eam curatius meis exhibere mens erat. Nunc eam vel expe-
rimentalem, rectius empiricam, vel rationalem et theoreticam esse,
satis notum est, licet verae vtrique vocabulo potestates subiiciendae
non ita paucos etiam eorum, qui de naturalibus scribunt, latere

videantur. Vti se psychologia empirica habet ad rationalem, ita hae
q̄ oque inter se differunt, immo connectuntur. Prior perquam
inepte confunderet ur cum quantulacunque qualiumcunque machi-
narum farragine prolata spectatoribus hoc magis admiraturis, quo
minus, quid agatur, ante nouerint, et ludere iussa plerumque in-
feliciter ad sonum vocis humanae suppletis, quae te vidisse cre-
dendum est. Posterior tum olim cum inutiliori vocum ontologi-
carum, aut prorsus inanium ad physicas quaestiunculas applicata-
rum nomenclatura miscebatur, tum nunc adhuc multis hoc nomine
digna censetur lanx fatura male cohaerentium hypothesium, quae
coecum eclecticum sapiat, cuique centies ratio, sexcenties contra-
dixerit experientia. Numquam ego dissuasero hypotheses pro-
babiliores physicis interferere, sed eas pro parte scientiae natu-
ralis, immo ipsa huius theoria et fundamento haberi non patietur
gnarus solidiorum, quae scientia poscit, principiorum. Totus
fallor, aut hae spuriae, quas enarraui, significationes cum vocabulo
physices theoreticae combinatae tantum in eam doctorum etiam
quorundam virorum contemptum contraxerunt, vnde non raro,
dum calculos et theoremata mathematicorum largis tibi manibus
oggerunt, solam se tamen experientiam sequutos iterum iterumque
profitentur. Vera physica theoretica rationem sequitur, et diutius
continuato rationis vsu perficitur. Coaceruanda heic sunt ratio-
cinia, quantum possunt salua certitudine, neque tamen, ne tela rum-
patur, intersuere licet incerta, multo minus falsa. Praemittenda
sunt non sola iudicia intuiriuua, quae physica suggestit empirica, ne-
que tamen excludenda, siue interferantur obseruationes et experi-
menta necessaria, quoduis eo loco, cuius probationem ingreditur,
siue collecta praemissa sint. Verum accedunt nunc etiam alibi de-
monstrata, lemmatum instar, quibus quasi mutuo acceptis funda-
menta latiora et firmiora iaciantur, ex quibus duraturum naturam
imitans philosophiae aedificium possit exsurgere. Haec autem
quae sint, nisi de qualitatibus rerum earumque quantitatibus et re-
lationibus aliunde iam nota, certa, euidentia. De quantitatibus
quae docent mathematici, horum multa iam patrum nostrorum
nostraque memoria tam vtiliter physicis illata sunt, vt nunc omni-
no, sine mathematicum peritia, physicos campos ingressus, claudus
esse videaris. De qualitatibus autem aequae certa quae sunt, et esse
cuius

cuius possunt, qui similem illis industriam impenderit, quae mathematicis insinuitur: ab iis omni modo physicum demonstratum abstinere, his prorsus non uti, immo his aperte contradicentia tamen mathematice certorum instar exosculari, quo iure poscitur, quae iniuria? Quae vero sunt illa? Dicam ingenue. Quicquid de rebus omnibus, compositis, extensis, materiis, corporibus, eorumque viribus, naturis, quiete, motu, loco, spatio, mechanismo non sinxerunt nescio quae metaphysicae, sed ex indubiis demonstrarunt rationibus scripta cum veterum metaphysicis non ita multa, praeter nomen, communicantia; quicquid ontologia et cosmologia defaecatior certi habet et demonstrari, si possit probandis physicis adhiberi, rationalis eo physica recte vitur, nec quicquam inde mathematicae certitudinis amittit. Idem ipsum si aduersis frontibus pugnet cum effatis aliquibus physicomathematicorum, haec aequae bene refutata sunt, ac si experientia vel accuratissimis rationibus retunderentur. Experientia satis docet, quam seuerè neglectum contemptumque sui vindicare soleat prima rerum, mundi, corporumque scientia, in maximis alioquin physicis, quae ab instrumentis, puluere et radio instructissimi speciosa paene miracula promunt, quando sunt in iis occupati, quae hinc lucem sufficientem accipere possunt, quam primum autem aliquid tangunt examinandum et constituendum ex iis, quae solite attendere fuerant aspernati, quasi metaphysica, repente fumum ex fulgore dare deprehenduntur. Ne quis interim putet nationis hanc tantum, aut sectae etiam esse querimoniam, cuius inter affectas me quoque legere nonnullis placuit: conferri potest Gallus, neque Leibnirianus, Malebranche, qui de inquirenda veritate l. II. p. 2. circa finem eadem iam suis temporibus obseruabat. Quum itaque tum experientiae, tum matheos, et philosophiae physica prioris tot, tanta contemplerer fundamenta, tantam iisdem imponendam naturalium materiem, hac vice separare potissimas ad physica spectantes scientias, vnamque post alteram acroasis exponere mecum constitui. Ne tamen multi comparandi essent auditoribus libri, quos singulas tradentes sequi potuissem, elegi omnibus interpretandis ducem Cel. Hambergerum in elementis ab ipso editis, quum opportunam plerasque earum iusto ordine pertractandarum suppedaret occasionem. Primam exposui phoronomiam physicam, sci-

er-

etiam motus in corporibus naturalibus. Titulum et usum etiam non contemnendum dedit, Viadrinae nostrae decus, *Hermannus in sua phoronomia*. Perrexi ad staticam et hydrodynamicam, qua physicis excutiendae sunt. Posterioris et nomen et veritates ad finem meum facientes acceptas tuli *Dan. Bernoulli* ex ipsius *Hydrodynamica*. In doctrina de cohaesione corporum ista hieme substitui.

X.

In priuatis eiusdem acroasibus solam mihi nunc ethicam commemorandam existimo. Si qua scientiarum est philosophicarum, cuius pleraque capita sic se iam nosse satis bene sibi multi persuadeant, licet nunquam didicerint, est ea sane doctrina virtutis, quam de moribus appellamus. Quis crederet esse viros, qui non graues a virtutis hac serua meditatione retrahentes, causam interferendo, quoniam trita bene viuendi praecepta sunt iis iam satis superque cognita? Neque dissimilis error a cordatioribus nonnunquam erratur, qui sibi forsitan et aliis persuadent, praxin potius ethices, vri loqui solent, desiderandam esse miseris inter homines, a theoria plerosque satis, multos etiam nimis instructos esse. Praeiuudicatis eiusmodi opinionibus duo mihi liceat obstruere. Vnum erit errorem, quo facilius, quo plures vel arcere possit, vel abstrahere ab aurea virtutis mediocritate, hoc eum esse periculosiorem, hoc alacrius bonos viros ex aequo et bono contra eundem ad arma concurrere. Hinc alterum inferri facile poterit, vix esse posse falsam persuasionem magis noxiam, paene dixerim bonis et malis aequae pestilentem ea, qua virtutes, etiam naturales, probantur, laudantur, optantur, postulantur, vnicus tamen earum fons negligitur aut omnino contemnitur, qua vitia vituperantur, dissuadentur, damnantur, scaturigo tamen eorum vberissima tranquilla mephytin exhalat impediente nemine, certe paucioribus. Qui vero sunt illi fontes peccatorum recteque factorum, virtutum et vitiorum vnici? Vnica, dicam expresse, sola boni maliue bona vel mala cognitio, si placet in naturalibus subsistere. Haec arbor, haec radix vna, cuius omnes determinationes liberae et morales, facta, habitus, consuetudines prauae rectaeue toridem fructus sunt.

Immo

Inmo fieri prius potest, vt bona arbor malos fructus ferat, mala bonos, quam vt satis bona aequi verique cognitio scelerato turpique in pectore habitet, aut hoc sit incoctum honesto generoso, neque tamen egregia boni notitia collustratum. Qui causas effectibus et hos ex causis meriri didicit, animumque nouit humanum, facile pedibus in meam ibit sententiam, nisi forte reclamare his assertis experientia non satis mediranti videatur. Verum experiri qui se putarit, optimam virtutis theoriam esse saepe in pessimis, in optimis contra vix ac ne vix quidem mediocrem: primo caueat, ne cognitionem, vna forsā aliqua praerogatiua splendentem, interim pluribus maioribus laborantem maculis, optimam, vna forsā ex parte minus venustam pluribus tamen aliis priuilegiis iniungem, pessimam iudicet. Pudeat nos notitiam honesti, qualis iis est, qui psittacorum more audita quondam officiorum vocabula volubilibus admodum oris et linguae rotationibus expediunt, bonam, ne dicam optimam appellare, quando deprehendimus eandem ita mancam in his et mutilam, vt nihil illi deesse videatur, quam illud semper ipsum, quod nunc opere foret exsequendum, ita paruam, exilem et minutam in illis, vt solis virtutibus, quae vocari solent homileticae, occupata circulis potius, et conuiuuiis tantum, quam omni vitae mentis immortalis apta sit, in aliis adeo crassam, tot saepe splendidis erroribus contaminatam, vt merito suo sesquipedalis postulatum, quae fieri nequeant, concatenatio iudicanda sit, in aliis ita fluxam, dubiam, maleque constantem, vt in horas paene mutetur integra, tandem in plurimis omni fere vi illa destitutam, qua veluti cognitionis anima mouemur et impellimur ad ea serio suscipienda, quae cogitationibus nostris arriserant. Quid autem? an aequiores tunc sumus iudices, si notitiam, quae omnem boni viri imaginem, quanta quanta est, complectitur, nobilissimis eius imitatuque difficillimis partibus potissimum inhaeret, nudam et simplicem veritatem sine fuce sequitur, intima conuincit praecordia, factisque potius bene, quam belle dictis proditur, ideo condemnamus et flocci pendimus, quia copiosum orationis flumen, mellitrique verborum globuli raro eam comitantur aut nunquam? Deinde, qui sese experiri putant a nobis ante dictis contraria, velim obseruare, homines in his terris histrioniam agere, nunc animis sub vulpe latentibus, nunc faecibus ora perunctos, et inde,
c
nisi

nisi diuturnam cum virtute familiaritatem veluti contraxeris, occasionem simul nactus mortalibus penitus inspiciendis, quando personam exuunt, periculosaē aleae plenum te opus aggredi, quis optimus sit, quis pessimus, quasi pro tribunali edicturum. Plerumque nobis maxime displicentis fronti nigrum prae reliquis theata praefigimus, hominem vero sic satis bonum, ex ingenii imbecillitate facinoribus ineptum, qui forte fortuna incidit in duces non ita malos, et coeco iam imperu sequitur antecedentium gregem, non qua itur solum, sed etiam, qua eundem est, si quibus ex causis placuerit, in rigidis optimisque virtutis satellitibus legere parati. Simias inter viros bonos referre non licet. Quae quum ita sint, amabiliorque virtutis notitia per ethicorum scientiam mirabilem accessionem adipisci possit: ne ninem, cui cor vere sapit, hominem reor vitio mihi daturum, quando publice constitutus artis bene beateque viuendi suaser, eius amorem, culturam, et exercitium meis, quantum possum, commendo. Neque heic destituerunt commilitones spem meam, sed superarunt. Alia non rango, ne videar arrogans, vbi min me conuenit. Vnum taceri hoc minus potest, quia principem haec scribendi occasionem praebuit. Quum enim non ita paucos aestumatissimorum auditorum ad hanc vsque deduxissem scientiam, paratosque viderem denuo similibus exercitationibus, quales supra indicaui saepius, venit in mentem illius consilii, quod iam Halae ceperam in ethicis, in his scilicet ad amicas disceptationes materiem non proponere mea, quae prelo subieceram, sed incitare iam prouectiores, vt ipsi philosophica scribendi periculum faciant, et suo Marte cogitata defensuri deinde disputantium areram conscendant. Hac hieme, quae nunc proxime praeterlapsa est, res ex voto successit dimicantibus intra priuatos parietes. Ante annum autem aliquibus commodum erat impressas, quas excuteremus schedas, in publicam lucem proferre. De quibus ante, quam vberius nonnihil adiciam, liceat in acroasium enarratione paucis adhuc pergere.

XI.

Quoniam grammatices omnium linguarum, et ebraeae praefertim, minus vtilem indagacionem esse quisque facile concesserit, si substamus in iuuus theoria, nec in ipsa lectione, vel aliis lingua-

rum

rum vſibus eius regulas, quam fieri poteſt, citiſſime applicemus: ad finem perducta grammatices ebraeae interpretatione, de qua ſupra, (n. VII.) non potui non obnixè rogare meos ne morarentur nocturna nunc manu diurnaue verſare codicis ea lingua conſcripti exemplaria. Memineram, qua vtilitate ſimul et iucunditate Halae quondam prius etiam, quam ad honores academicos accederem, intereram ipſe numero, qui per vnam horam quotidie conueniebat, eo fine, vt audientibus reliquis, quem ex nobis ordo tetigerat, domi bene praeparatus portionem, quales capita nuncupamus, interpretatus obſeruationibus a philologia dictis colluſtraret, ſuas vices, vbi penſum abſoluerat, ſucceſſori non minus ad ſequentia praeparato traditurus. Narrantis, meamque librorum eo ſpectantium ſupelleſtile offerentis conſilium placuit aliquibus, et vltra ſemeftre hiemis ſpatium conueniebant inter ſe mutuis ſe ſic operis adiuturi commilitones. Cuiusuis hebdomadis die Saturni acceſſi, ſi qua difficiliora viſa fuerant, et ante mihi indicata, reſolutorus. Poſtquam ex non ita multis, qui laborem ſubierant, proficiſcerentur hinc aliqui, hoc aequiori animo tuli non continuatum eiusmodi exercitium, quia partim remota cura linguarum orientalium eſt a prouincia mihi nunc demandata, partim ſunt apud nos viri plures eruditiffimi, quorum induſtria colendorum eiusmodi ſtudiorum opporunitatem deſiderare non patietur. Mihi ſufficit haec etiam qualiacunque molimina reſutatura ſaltim eos ipſo opere, ſi qui me velint accenſere male feriatis, deprimendo philologiam qui philoſophiam extollere cogitant.

XII.

Per aetatem ſequentem in phyſicis (n. VIII.) doctrinam de cohaeſione corporum, ſyntheſi et analyſi phyſica, ſimulque generaliore naturalis philoſophiae partem abſoluens acceſſi ad ea corpora, quae ſimplicia veteres, aut elementa, quorumque ſcientiam Stoechiologiam dicebant, cuius dimidium pyrologia cum aërologia nos vſque in autumnum occupauit. Cohaeſionem corporum obſeruationibus experimentisque ſcrutanti lex naturae ſefe offerre videbatur, cuius probationem alii tempore ſeruauero, quamque *principium congruentiae* commode dixeris: Quo ſimiliora, quo magis aequalia, aut minus inaequalia i. e. *quo congruentiora ſunt inter*

se corpora, (agentia) hoc magis vnum alteri cohaeret, vnum alteri adhaeret, vnum tendit versus alterum, vnum attrahit alterum. Has enim loquendi formulas, reiectis modo falsis conceptibus adhaerentibus, vere poteris ex mea sententia adhibere pro lubitu. Similitudinem autem aequalitatem et congruentiam non tam apparentem primo et quasi nudis oculis diiudicandam tantum superficialium conuenientiam aestumauerim, quam minorum particularum amicum conspirationem, aut potius, ne sympathias somniare videar, conuenientiam et partialem, vt cum schola loquar, identitatem. Synthesis et analysis naturae salutare non raro iussit physicam per ignem, quam chemiam dicunt, cuiusque scientiam omnem finitris aibus a physicis separe. Neque enim bene spagyricas obseruationes et experimenta singula noueris cum ignarissimis, experientiam naturae, qua pote, sequuturus. Aether, ignis elementaris et primigeneus, sulphur eiusmodi, elementum Cartesii primum, *φλογισον* mihi reapse vix ac ne vix quidem discrepant, neque tamen omnia nomina aequae probauerim. Fluidum ea denotant, quale necessario debet esse in mundo, plenus si fuerit, qualis est sine vacuo, vbicunque non sunt corpora mundi totalia, nec atmosphaerae quidem, et in omnibus tandem vltimis reliquorum corporum poris. Huius aetheris motus, calor est, euanesceus, frigus, physice rectilineus, lux. Idem quatenus motu telluris in pleno circa solem pellitur continuo versus polos, esse viderur materia magnetica. In eo circa tellurem in eandem grauitante, premente et tendente, (quia congruentiorem sibi, hinc similioris tendentiae fortissimae, tellus vndique colligit per suam orbitam) exhalationes et vapores secundum regulas hydrodynamices eleuata dant aërem atmosphaericum. Cuius elasticitatem nemo mirabitur, aut ex peculiari aliqua materia elastica deriuare conabitur, qui corporum omnium tenuiores praesertim partes expandi necessario per intrantem in pleno copiosum aetherem obseruauerit, siue vehementiori cum motu caloris, siue mollius et veluti pacatior ingrediatur. Sed nunc non erit his locus, quantum satis est, diducendis, quo suam nanciscantur euidenciam.

XIII.

Supererat ex quatuor primariis philosophiae practicae partibus

bus vltima pertractanda prudentia socialis (n. VI). Nec tulerunt
vltius ab hac post reliquas expedienda me abstinere viri iuuenes
maximam partem sanguine, omnes animo nobili, iucundoque, fa-
teor, imperu plures ex iis prius, quam hinc abirent, aut vitae ge-
nus omnino mutarent academicae, regiam imponi studiis suis phi-
losophicis per politica coronidem voluerunt. Ducem itaque legi-
mus Ill. *Wolffium* in *cogitationibus eius de vita hominis sociali*, quas
lingua germanica conscripsit. Quanquam enim hoc etiam loco
publice prouoco, qui me numerant in coecis magni illius viri asse-
clis, vt saltim vnam enunciationem eius proferant, quam meam
fecerim scriptis dictis, cuiusque rationem aut non reddiderim,
aut monitus, vti fas est, dare nequeam: neque tamen absitam
agnoscere merita decoris eruditorum nostratium, et ruptis interim
illis codrorum philosophiae, sequar eum vltius, vbi veritatem
sequitur, vti libere inter liberos agi conuenit. Hinc sicco pede
transiui, quas simul expedit obligationes status oeconomici et ci-
uilibus externas, a quibus iam ius sociale nobis otia fecerat. Immo
si redeundum posthac in idem hoc stadium fuerit, oeconomica
omnino suadebo omittere, quae publice lubentius exponam, quam
politica locupletior sit prudentia, quam vt possit vel mediocriter
exhaurienda cum aliis disciplinis sex intra menses explicando
combinari. Est ea scientia obligationum internarum in statu ci-
uili, maleque confundi viderur, vel cum parte sui, arte regnandi,
vel cum prudentia cuiusuis vitae generis, quae foret etiam extra
ciuitatem obseruanda, quam artem viuendi salutant, vel cum vtra-
que simul. Posterior est corollarium ethices, priorem complecti-
tur vti que politica, neque tamen non ex illa sola cogitata, quando
de politicis incidit sermo, nasci possunt ipsi bono publico satis no-
xiae mentis anticipationes, politicam esse solorum regnantium, qui-
cumque non speret se festurum olim ad supremos reipublicae cla-
uos, eum hanc laudabiliter ignorare, neque tandem eam disci posse,
nisi in aula et ipsa negotiorum publicorum administratione. Equi-
dem in eadem olim charybdi laboraui, nunc ita rationes subduxi
meas, vt vti que mihi videantur alia omnia statuenda. Si quem
vitae genus et sacrosancta gentibus omnibus pactorum vincula cu-
randis peculiariter et maiori cum sollicitudine quibuscumque rebus
obstrinxerint, non ideo, quasi priuilegio, nescio quo, reliqui omnes

ab omni earundem cogitatione soluti iure censentur. Quis
neget esse sacerdotum cultum diuinum curae cordique habere, iu-
reconsultorum iustitiam, medicorum publice constitutorum vale-
tudinem, professorum philosophiae, quid verum, quid decens,
curare, rogare, et in hoc omnes esse? Exemptos autem inde reli-
quos a cultus diuini, iustitiae, valerudinis, recti et boni curatori
contemplatione, quis vigilans somniauerit? Inficias non ibo feli-
cem esse rempublicam, cuius princeps philosophatur, id quod his
temporibus patriae nostrae prosperitas experitur. Quoniam autem
ea potius attendenda nobis iudicauerim, quae magis in potestate
nostra posita deprehendimus: non minus beatam civitatem eam
praedico, cuius plures ciues, neque priuatos, quocumque loco
nati sunt, villos excluderim, de vero bono publico persuasi, sicuti
possunt, honesta aemulatione, pro tenuitate vel amplitudine virium,
ad illud obrinendum inter se contendant. Ad haec olympicis vti-
liora bonorum ciuium certamina, quibus ne proletarii quidem aut
capite censi prorsus inepti sunt, ad hunc quondam tam alte pecto-
ribus insitum, tam late patentem amorem patriae, qui nunc, proh
dolor! paene refrixit, locumque dedit aut stupidae iugi patientiae,
aut male locatis non contentorum sua forte vel optima querimo-
niis, instillandum, aut excitandum potius in iuuenum ingenuorum
animis, et per hos sensim diffundendum per membra ciuitatis re-
liqua, suam omnem diligentiam, operam, industriam, omnes inge-
nii nervos, mentem omnem intendat bene, non sibi solum et
scholae, sed vitae, sed patriae philosophaturus. Quem prouum
in rempublicam tuam animum non arbitror coeco quodam impetu
in ea, quae prorsus non noueris, multo minus indignatione feroci
in capita ciuitatum et animas absolui, neque tandem in sola medi-
tatione rerum consistere, quae a summis imperantibus tibi recta
ratione constituendae videantur. Quod Virgilius de vita rustica:

*O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolae!*

idem de omni fere vita ciuili vere sapienterque dici posse credide-
rim. Obuertenda hinc pro virili ciuibus in patriae amorem alli-
ciendis amabilis et pulchra facies corporis mystici, cuius membra
sunt, eiusque imago nunc dilutis magis coloribus, nunc in plena
luce sistenda est, sine fuce quidem adulantium, at simul sine ad-
sper-

spersis sponte mendaciterque maculis. Notarum, quibus nulla unquam mortalis Venus caruit, eae potissimum detegantur, non quas incassum forte gemas, quoque imbecillius, hoc miserabilius lamenteris, sed quas eluere, saltim ex parte, qui vident, si velint, possint. At neminem, nisi regem, aut a rege proximum, posse informare animo philosophicis historicisque studiis gnauiter praeparato mediocriter constitutae reipublicae imaginem, quae licet vngues exacte mollesque capillos non exprimat imitando, tamen felix operis summa totum ponat ob oculos, illud quidem est, quod sine tergiuersatione negauerim. Artem militarem in castris et acie, nauticam inter fluctus ventorumque rabiem ad summum perfectionis apicem deduci omnes consentiunt. Quisquis tamen inde ratiocinando veller elicere summos tantum imperatores classiariorumque praefectos eam vlla ratione tenere, nec ante vel cogitanda arma, vel adspiciendas naues, quam vbi vocant illic classica, heic carbasa, vehementer ille, profecto, falleretur. Aliquam potius artis adumbrationem, sic et regulas obtinendae prudenter salutis publicae, variorumque tandem ad eam conspirantium consiliorum ordinem et compagem, licet pluribus notam, nondum tamen tironi perspectam, melius ante periculum et media quasi pace, portu nondum egressi docentur, et haec quidem tirocinia ac veluti palaria aptius ab iis, quibus ortum est praesentibus negotiorum publicorum vicissitudinibus non occupatum admodum animum in magis communia facili methodo digerenda defigere. Quae quum ita se habeant, subire possent animum mirari, qui factum adhuc sit non ita pridem, vt in maioribus etiam coetibus academicis, quorum ex numero tot imperiorum et gentium munera publica suos paucorum annorum spatio candidatos adipisci debeant, multi laudabili feruore iuribus, quae certa regna sibi habent propria, nauarent operam, hinc primum felicitatis publicae gradum impetrandum iustitia sibi familiarem redderent, neque pauci diductius et copiosius, quam futuri forsitan vsus a singulis poposcerint, vix tamen centesimum quemque, fatisque paucos in iis etiam, quos natalium splendor ad sublimiores in patria subeundas prouincias non arroganter adspirare iusserit, per totum tempus in academiis transigendum eximia tangeret cupiditas assurgendi nonnihil ad alterum etiam lustrandum gradum in fortuna populi, quem obtinet pruden-

dentia. Verum nunc, veluti signo aliquo ad bene sperandum sublato, licebit considerare fore, vt ad augustissimum serenissimi regis exemplum componatur in dies magis magisque patrius orbis, et reliquas inter artes et scientias altius etiam efferat apud nos caput politica, non vmbatica et imaginaria, multo minus callidae fraudis lenocinio turpis, sed rigidae virtutis ad folium vsque comes indiuisa seueram parendi regendique prudentiam alma maiestate commendans.

XIII.

Veniamus tandem ad illas acroases, quarum a fine, dum haec scribo, non multum absumus per instantem aetatem nouis locum facturarum. In physicis aquam et terram adiiciens iis, quae elementa dicuntur, corporibus, ad euidentius compositorum enucleationem, quam aliqui mictologiam dicunt, accessi, sic festinans per eorum potiora phaenomena, vt astronomiae physicae, quantum satis est, temporis tribuendo possim tamen ante proximam hiemem scientiarum naturalium ambitum absoluere. Neque is sum, qui tam diu semper in elementis physicorum existimet occupari necessarium. Jam ea saepius paucos intra menses perlustraui, quoties in philosophicis, quos aiunt, cursibus mihi facta sunt obuia, facilius etiam velis, quantum decet, contractis spatio sum hoc pelagus sex intra menses permeaturus. Hac vice cur potiora magis dilucide exposuerim, iam dixi rationem (n. VIII.). Vnicam ibidem commemoratis cautionibus circa studium physicum nunc licebit adiicere, ne scilicet eadem securitate bonaeque causae confidentia sequamur in iis mathematicorum doctrinis, quae mixtae vocari solent, praecedentes celebres etiam caeteroquin mathematicos, qua forsitan arithmetica et geometrica se quis ab iis accipere, tanquam omnino certa, posse sibi videatur. Partim enim in iis vitae commodis, propter quae certa mixtae matheos pars huc vsque culta fuit maxime, certum phaenomenon corporum, in quibus ea considerandis occupatur, tam parum momenti habet, vt ideo in curis mathematicorum ad hos vitae vsus respicientium non venerit in censum pro infinite paruo habitum, maximo tamen opere physicis attendendum ex minimis naturae, quae possunt assequi, maxima quaeuis interpretaturis; partim nituntur quaedam mixtae matheos

feos

seos asserta hypothefibus ex vna alteraue experientia, tanquam vniuerfim verae, sumtis, quas non ita semper euenire dies iam et natura commoustrarunt. Prioris exemplum esto hydrodynamicum in phaenomenis tubulorum capillarum ferrique naturaliter natantis in aqua, cuius sustinetur visciditate. Haec enim si recte possunt negligi a mathematico marium, lacuum, fluminum, riuorum, fontium, aquaeductuum saltim vel pressioem, vel motum in tanta aquae vi dimensuro: quum tamen in physicis praeteriri nullo modo possint, nescio, num satis accurate physicus primum mathematicorum haec non curantes regulas suas faciat, deinde fastidus exceptiones, obseruaturusque haec vel illa fieri contra regulas hydrostaticas, quarum tamen exigua restrictione tanta certamina naturae et artis componi potuissent. Posteriori loco notatum illustrent radii lucis hucusque in dioptrici docti, si in medium densius incidant obliqui, frangi a perpendiculari, si in rarius vel minus densum incidant ad perpendicularum. Nec enim quantitas refractionis, nec eius directio semper densitati grauitatque proportio nata deprehenditur.

XV.

Praeterlapso proxime autumno desiderabant multi, suamque voluntatem adeo certis argumentis prodebant, vt de ea dubitare non possem, aestheticam seu scientiam pulchrae cognitionis cum ipsis communicare more per academias consueto. Primam eius ideam animo conceperam, quum de poetis non nihil philosophari mens esset, eamque *dissertationis de nonnullis ad poema pertinentibus* §. 115 - 117. delinearem. Mentionem eiusdem inieci in metaphysicorum editione iam prima, in secunda partes illius etiam peculiarias aliquas delineavi. Vberius quum similia monuisssem in phi-sciographia encyclopaediae philosophicae, quam Halae, et in phi-sciographia generali, quam haec docueram, inde forsan incendebantur alacres optimorum auditorum animi rationis seueriori culturae per logica, vel addituri, vel praemissuri praecepta, quibus analogon rationis, inferior cognoscendi facultas ad perfectionem adeo placentem humanitati, mansuetioribus litteris adeo decoram eueheretur. Morem gessi hoc lubentius honestissimis rogationibus, quo

quo semper aegrius tuli, qui rhetoricas poëticasque doctrinas titulo respondententes et masculam tradentes eloquentiam mirifice vtilem non ignorabant, sed negligebant, non negligebant tantum sed etiam altis quasi philosophorum superciliis despiciebant. Deinde taedium audiendi de iisdem eadem praecipientes rhetores, crescentiumque poëtarum magistros non felicius caueri posse iudicavi, quam si ea, quae non hae solum disciplinae communia habent inter se, sed et cum reliquis liberalioribus artibus, vti pictura, sculptura, musica generatim obseruarentur, ne toties eadem oberrandum sit chorda. Porro non videbam viam corrigendi publici faporis, erudiendique palatum aliam, quam si critici rigore philosophico mathematico distincte laborent ea cognoscere, de quibus confuse tantum apprehensis male disputatur, quae tamen in elegantis cogitationum omnium non minus statas fixasque suas leges agnoscunt, ac eae sunt, quibus aedificiorum concinna pulcritudo demonstratur. Tandem ambabus arripui manibus occasionem ipsa denuo re declarandi, quantam inferant mihi iniuriam, qui ex conciso scribendi genere, quod in metaphysicis ethicisque sequuus sum deliberato consilio, cuius nunquam poenituit, aut poenitebit, solum eiusmodi cogitandi dicendique genus aut cognitum esse mihi, aut arridere vel ipsi credunt, vel aliis persuadere conantur. Ad dam nunc breuiter sex illa praecipua decora, quibus quasi tot columnarum generibus omnia cogitanda meditandaque pulcrius exornari debere nos ipsa animae humanae penitus perspecta natura docuit. Prima sit vbertas et copia, qua satis multa non de re solum, quae cogitanda est, subiici possunt oculis, sed etiam ad ea expedienda vires eius et abundans diuitis ingenii flumen sufficiant, a quo sistenda venuste cogitando res est. Sequatur magnitudo et dignitas rerum cogitationumque rebus apte congruentium, quae nec tenuia quidem picturis humi repere permittat, neque contra sublimibus maiestatem concilians nubes et inania captare patiatur, sed quantacunque cogitare susceperis, recta te via tumorem inter et ^{et} deducat. Tertia sit verisimilitudo caeteroquin verissimis ramentis quaerenda, simulque discrimen illud ingens constituens, quod intercedit inter ea, quae pulcre finguntur, licet sint nulli gentium, et aniles fabulas, vitra fracta, somniorum interpretamen-

ra. Laudabilis vnitas materiae, loci, temporis, et si quibus est in aliis obseruanda, sicut arcta lucidi ordinis cohaerentia huius veritatis soboles, immo pars est. Addatur viuida lux, immo candidus nonnunquam splendor cogitationum dulci colorum variatione, continuaque nouorum vicissitudine tam attentum & suspensum quasi retinens animum, ne delabi queat in alia, quam perspicuitatis rerum imaginum eas exacte referentium blandam admirationem ciens. Ex his duabus vltimo loco commemoratis cogitationum elegantis resultabit quinta, quam suadam vel suadelam Romani dicebant, cuius vi se sensim insinuante animis veri specie non dissimulanda percussis fides asserto denegari nulla ratione possit. Omnium denique iam indicatarum venerum velut anima et coronis superest sexta, vis illa verticordia, flexanima vita, ardor, inflammatioque, qua mouentur animi, quocunque velis, et nunc debilius, nunc fortius modo his, modo illis perturbationibus incitantur, nunc moros si praestat fluctus componere suae paulatim quieti reducta post turbines serenitate restituantur.

XVI.

Jam supra (n. X.) tetigi nonnihil opportunitatem illam, ex qua mihi nata est voluntas de his meis acroasibus praefantem aliquid litteris consignare. Quoniam enim erant, heic quum primum ethica docerem, in auditoribus quinque viri iuuenes, qui suas meditationes ex cathedra publica vellent defendere: suadebam themata sibi legere quinque partibus ethicorum ita respondentia, vt ipsorum labores aliqua ratione connexi inter se videri possent. Hinc qui primus in arenam descendebar *S. W. Spalding* nunc in patriam cum laude bene transactae vitae academicae reuersus, sumit sibi materiam, quae potest ad prolegomena referri, *de vi et efficacia ethices philosophicae*. Secundus *J. S. Diterich* nunc Halae sacris studiis eandem nauans operam, quam apud nos bonis omnibus probauit *de precibus continuis* disseruit vno ex officiis, quae deo debemus. Sequuti fratres *J. F.* et *J. G. Goldbeck*, quorum alter nonnihil ex sapientis philantiae praeceptis *de abnegatione philosophica*, alter *inimicorum amicitiam* exponens aliquid addidit ex iis, quae ad alios amandos pertinent. *De vitis quas philosophorum ethices*

d 2

quae-

quaedam commemorans *J. G. Beneke* profequutus est aliqua ex parte filium illud, quod exorsus paullulum extricare parte libelli mei ethici secunda fueram, ex officiis humano generi communibus in statu naturali deriuans pro lubitu nunc breuius, nunc vberius peculiaria certoque vitae generi propria. Hi nobiscum adhuc viuunt, conceptamque de se spem partim implent, partim augent quotidie. Quum itaque, quae supererant, harum dissertationum exempla colligere bibliopola desideraret in vnum fasciculum, deesse officio nolui, cui adiectis ad singulas eiusmodi chartas litteris alias satisfacere solemus, quodque nunc apte possum exhibere simul pluribus. Quo minus autem auctores ornatissimi laudatoris egent, hoc minus etiam festinandum mihi credidi. Neque tamen ideo tantum, quoniam ita mos est, aut vt aliquid scripsisse videar ad vos mea se conuertit oratio, commilitones optimi, quorum diligentiae dexteritatisque primitias bonis ego verbis in publicam lucem exeuntes profequor. Animus heic loquatur, quem noſtis vobis, vestrisque commodis, atque adeo patriae, cuius spes estis, deditissimum. Aliquot abhinc annos quotidie testes fuistis meae cum honoratissimis auditoribus consuetudinis, quam aequae remotam a blandientibus eruditionis tantum non consummatae paeconis et reliquis dandi plausus praeposteris illecebris esse volui, ac ab auctera nescio quam superbiam olente morositate. Neque hinc, reor, expectabitis, vt in ingeniorum, studiorum, morum, industriae, quibus vtrique singuli singulis exsurgitis vltra id, quod nunc mediocre ceteri solet, ambitiosas concelebrationes excurram. Satis vobis erit, quod amamini, quod probamini nostra in academia, quibus innouistis, bonis omnibus, et ab aliis eius professoribus, coniunctissimis meis collegis, quos adiistis, sicut a me, numeramini inter paucos, qui suis studiis excitant studia decentium, et de quibus maturescentes communium laborum fructus modeste prae se ferentibus illi quoque sibi gratulentur. Satis vobis erit, aequos rerum arbitros vestra meditandi scribendiue, quae ederentur, tirocinia, partim iam habuisse, partim habituros, pro documentis bene certis, olim vos ipso opere adhuc luculentius declaraturos operam et oleum a vobis impensa in hac litterarum sede, sane, non esse perditum. Satis erit, primo quae fuisset loco nominanda

con-

conscientia mentis vestrae, quae si optimorum, vt Cicero ait, confiliorum factorumque testis in omni vita nobis erit, sine vlllo metu et summa cum honestate viuemus. Ipsi vobiscum perpendite, quanti sit, effugisse, nisi omnia, prima saltem et potissima vitae academicae pericula. Circumspicite, tristia, quae vobis velut inspectantibus alii fecerunt, naufragia, miserabilem certe temporis iacturam, cuius opportunitatem amissam omni sequutura vita non redemerint. Mente coniectate iam nunc sinceram illam et liquidam voluptatem quam aliquando hausturi estis, vbi memineritis eas horas, quas in popinis et lustris, aut otio supino dilapidarunt, proh dolor! adeo multi, bene vos locare, tum disciplinis, quibus olim maxime confidere cogitatis, tum indagando, quae vitam vere beatiorem efficiant. Totus fallor, aut vos cum iis, qui haec legerint eadem nobiscum de turpi et honesto sentientes, probe intelligitis, quid illud sit in primis, de quo vobis gratuler, mihi gaudeam, qui statim in primordiis muneris heic suscepti tales inuenierim, de quibus sine redargutionis formidine, si volupe foret, gloriari possem. Interim me non monente noueritis, quam male sibi consulant, bene coepto in itinere qui subsistunt, quasi iam adepti metam, aut saltem eo progressi, vnde despectui minorum immorari possint. Pergetis potius, in quocumque vos bona fortuna, quam sanctam colimus prouidentiam, gradu locauerit, et in omnia ventura aetate sollicitae cauebitis, ne rectius iuuenes sensisse, quam vixisse viri videamini. Vobis non est, cur de laborum vestrorum ratione quicquam addam, quam vtrique me melius recordabimini.


XVII.

Neque mihi tamen praetereundum est, contigisse in harum etiam dissertationum plerisque, quod et alias non minus expertus sum, vt scilicet mihi, tanquam auctori, quicquid contradixerim, imputarentur. Ab inimicis id si fiat, frustra protestaris, vt pote qui hoc lubentius affirmata reperent, ne non aliquibus saltem mentitus esse videaris. Verum possunt in hanc sententiam etiam non maleuoli facile venire, quum vtrique nihil fere in academiis vlti-

tius sit, quam nomini defendentis auctoris titulum praefigere, licet moderator conflictus, aut saepe etiam alius quis ad eum paucis mutatis dicere possit, quod Marcialis ad Fidentinum: quem defendis, meus est libellus, sed male dum defendis, tuus esse incipit. Interim omnia, quae consuetudo fert, a nobis facta si liceret sine vlla haesitatione cuius affirmare, bone deus! quam malorum rerum satis cito, satis bene rei ageremur? Neque tamen in hoc quenquam alium reprehendo. Interpretetur, si placet, auctorem per suasorem, aut etiam possessorem ex titulo emti venditi. Mea non refert. Modo mihi liberum relinquatur abstinere, sicuti semper sum solitus, ab istis moribus, et abstinere se profitenti ne fides sine ratione denegetur, aut omnino contrarium, velut explorata res et euicta, circum feratur. De ipsis autem meditationibus, quas ex cathedra publica tueri consueuimus, hanc animo concepi, quam sequeretur, sententiam. Nullo modo vocauerim in dubium plerumque iure lectoribus gratius esse, si viri iam exercitatoris in scribendo, subactius maturiusque cogitantis elaboratum industria scriptum in manus recipiant. Quam ob causam, si de meo non agitur praesidio, suaserim velitationem academicam subitum bene multis ingenue materiam celebrem et nondum tritam a viro celebri pertractatam defendere potius, quam suo Marte conscripta iam in tantam lucem proferre. Verum enim vero non solum haec lectoris res agitur, eiusmodi exercitia sunt simul eorum causa suscepta, quorum sumtibus instituuntur. Qui quum omni vi mentis in id incirandi sunt, ut quanto cyus cogitandi aliquid, explicandi, probandi demonstrandique sibi comparent facilitatem, quando priuatis et in umbra quasi susceptis tentationibus vires suas animaduertunt succrescere, quo colore possent omnes retrahi ab eo, propter quod tamen omnis exercitatio meditandi scribendique suscipitur? quando commodius primum publice scribendi periculum, quaque ratione simul modestius fecerint? Si quibus ideo, praesertim propius cognitis, est animus exhibere suis et academiae, cuius ciues sunt, specimen diligentiae, qualia nunc paene sola confirmauit adhuc usus, meliorem eum crediderim sustinere personam, qui iuerit honestum propositum et ad felicem eius euentum sua contulerit, relinquens interim campum defensuro liberam lectoris etiam

et

et absentibus suam dexteritatem probandi, quam illos, qui sua iam dudum in chartam coniecta aut obrudunt, aut ad ea responsuros sexcentis strophis alliciunt, prensant, ambiunt. Quam meam mentem liceat declarasse simul de dissertationibus omnibus, quas iam moderator conflictus academici defendi, quaeque fortean sequentur has nunc collectas. Quibus si quis adiciere velit reliquas, quarum disquisitioni praefui, tres illas tribus verbis habeto. Primam *de nonnullis ad poema pertinentibus* Halae mecum tuitus est frater optimus *N. Baumgarten*, postea magister philosophiae titulo et re non sine laeto successu, deinde corrector Berolinensis gymnasii, nunc ibidem in communi patria muneri sacro admotus. Haec est huc vsque sola, quam meam, ut dixi semper, nunc etiam dico. Secundam *de nonnullis syllogismi affectionibus* Halae a se conscriptam defendit *J. C. Decker*, postea magister philosophiae, dehinc assessor ordinis philosophici, qui plures per annos in Fridriciana scientias et linguas, quas sacras habemus, feliciter docuit, nunc est a sacris satellitum inter pedites regionum, simulque sacrorum militarium maxime reuerendus antistes. Tertiam *de existentia corporum angelicorum* heic meo praesidio tuitus est auctor *C. F. Goede*, qui nunc Halae theologica strenue colit. Quae contra eam etiam publice mota sunt, si essent tanti, quae refelli mererentur, meam tamen non facerem controuersiam, qua peti non, nisi per errorem vel malitiam, possim. Dabam Traiecti cis Viadrum,
a. d. XXI. Apr. MDCCXXXIII.









Frankfurt a.O., Diss., 1741/45


ULB Halle

002 175 800

3



Sb,



B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

7 1743,1 10

SCRIPTIS
QVAE
MODERATOR CONFLICTVS
ACADEMICI
DISPVTAUIT,
PRAEFATVS
RATIONES ACROASIVM SVARVM VIADRINARVM
REDDIT
ALEXANDER GOTTLIEB BAVMGARTEN
PROF. PHIL. P. O.



HALAE MAGDEBVRGICAE,
IMPENSIS CAROLI HERMANNI HEMMERDE.
MDCCXXXIII.

